

[A 1v:] Vidi spargi scripta quaedam, in quibus inter reliqua etiam ex uersione Bezae, cuius labor in explicationem Noui testamenti collocatus,¹ si iudicium in nonnullis adhibeatur uera pietate et doctrina instructum, suae certe laude et commendatione dignus est ut alias praesertim in nostra Noui testamenti ἐξηγήσει, Deo iuuante, ostendemus uerba, quae extant Act. 3² (Oportet Christum coelum accipere) allegantur hunc in modum: „Oportet Christum coeli capi.“

Animaduertentes autem dolum et insidias καὶ ὑπουλόν τι subesse colligentes uiri boni et pij dolent, eo rem et fidem, confesionem et constantiam redactam esse, ut ex manifeste deprauatis sacrae scripturae testimonijs ostendenda sit eruditionis alicuius opinio et confesionis regula.

Ego certe quid amplius faciam nescio. Emigrare cupio et esse cum Christo. Video enim, quo res inclinent, ac quod fere nemo amplius sibi cordi et curae gloriam Christi, qui sedens ad dexteram Patris Dei omnipotentis caro et sanguis noster est, esse uelit.

Dabitur fortasse tempus et occasio iuste et sufficienter conquerendi de istis insidijs alias uel etiam coram tribunali Filij Dei et in ultimi iudicij [A 2r:] executione. Nunc tantum supputridum conatum eorum, qui uersioni isti adhaerent, ut iuentuti piaae detegamus, primum uerba siue textum, deinde uersionem siue glossam conferemus.

Nihil profecto iam ab hinc annis uiginti magis nos mouit, turbauit, anxios reddidit et ut acceptionem ad speculationes sacramentariorum nudo capite factam esse crediderimus, pro dolor, persuasit, quam allegatio uersionis profecto malae et impiae: „Oportet Christum coelo capi.“ Ex hac enim citatione quid subsit conspici potest. Textus durabit, glossa peribit iners. Et Oecolampadio istud a principe quodam magnanimo obiectum, glossas scilicet illum eiusque manipulares quaerere Lutherum uero uerba et succum habere nullo alio responso solui potuit, nisi uelle nimirum se amputatam sibi manum prius fuisse, quam contra Lutherum scribere unquam aliquid coepisset.³

¹ Vgl. Theodor Beza, IESV CHRISTI D.N. Nouum testamentum, siue Nouum foedus. Cuius Graeco textui respondent interpretationes duae: vna, vetus: altera, noua, Theodori Bezae, diligenter ab eo recognita. [...], Genf 1565, 18. 1567 bestätigte er diese Übersetzung in einem weiteren Schriftkommentar. Vgl. ders., IESV CHRISTI D. N. Nouum testamentum, Gr. & Lat. Theodoro Beza interprete. [...], Genf 1567, 183.

² Act 3,21.

³ Diese Äußerung von Johannes Oekolampad konnte nicht nachgewiesen werden; sie entstammt nicht den frühen Stellungnahmen, wie dem Iudicium de doctore Martino Luthero, Leipzig 1520 (VD 16 O 352ff) oder der Antwortschrift der Canonici Indocti Lutherani an Eck, (s.l. s.a., [VD 16 O 297ff]), ist aber für die Zeit nach seinen Stellungnahmen gegen Luthers Abendmahlslehre ab Sommer 1526 (der Schrift Billiche Antwort, Augsburg 1526 [VD 16 O 295] und der Ad Billaldum Pyrckaimerum Responsio, Zürich 1526 [VD 16 O 281] oder dem De genuina uerborum Dei [...] expositione liber, Straßburg 1525 [VD O 331ff]) nicht nachzuweisen und auch kaum mehr zu erwarten, da Oekolampad in diesen Schriften keine Versuche mehr unternimmt, seine Übereinstimmung mit Luther zu behaupten.